Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
DIÆTETICO-MEDICAM
DE

POTV VINOSO
DIGESTIONEM IMPEDIENTE
MAGIS, QVAM ADJVVANTE

Auſpice & Præſide Summo
Numine

Auctoritate & Indultu Gratioſiſſimi
MEDICORVM ORDINIS
In Illuſtri Argentoratenſium Vniverſitate
PRO LICENTIA
SVMMOS IN ARTE MEDICA HONORES
ET PRIVILEGIA DOCTORALIA
rité capeſſendi
Die 13 Auguſt. Ann. MDCCXXXVI.

H. L. Q. C.

Solemni Philiatrorum Examini ſubmittit

JOANNES EILHARDVS REINICK,
Gedanenſis.

Typis MELCHIORIS PAVSCHINGERI, Typogr.

DEO
PATRIÆ
PATRONIS
&
PRÆCEPTO-
RIBVS
S.

PROOEMIUM.

NUlla in vita ciuili periculoſior eſt, & difficilius euitatur, quam, quæ amicitiæ ac beneficii ſpecie intentatur, læſio. Non officit ſanitati grauius & improuiſo magis, quam, quod medicaminis nomine involutum corpus irrepit, venenum, functionique corporis alicui maxumum ab impedimento, quod adjumenti titulo blanditur, diſcrimen imminet. Eo major proinde hic adhibenda eſt circumſpectio,

cauendum à præjudiciis, ſummoque veritas quærenda ſtudio. Non ſufficit ſemper hiſtorica juuantium & nocentium cognitio, prætenſa licet multorum experientia ſuffulta, quæ eo frequentius hic fallit, quo rarius nuda comparet. Hinc, quantum fieri poteſt, in modum, quo aliquid huic, illive corporis functioni opitulari, vel obſtare poßit, inquirendum eſt ſollicitius. Ita enim ſæpius fit, vt, quod maxume promouere aliquam credebatur antea, præpedire magis eandem deprehendatur. Exemplo potus eſt vinoſus. Hunc adjuvare digeſtionem ciborum, multis ita perſuaſum eſt, vt nullam prorſus ejus læſionem inde metuant. Adjuuare eam poteſt, fateor, verum certo tantum reſpectu, atque ſic, vt alia ſimul ratione, ſi rem recte penſitamus, eandem magis adhuc

impe-

impediat. Vnde ſieri aliter haut poteſt, quin expectatæ ſalubritatis loco damnum inferat, morbosque, quibus mederi creditur, augeat, curatuque difficiliores reddat. Hoc itaque digeſtionis obſtaculum, quum tanto plus periculi & detrimenti alat, quo abdite magis ſub adjumenti titulo latet, in lucem protrahere operæ eſt pretium. Quare non abs re me facturum arbitror, ſi ſpeciminis Academici loco hanc de potu vinoſo per ſe & in diſcriminatim digeſtionem promouente opinionem conuellere ſuſcipiam, ejusque contrarium ex potus vinoſi & digeſtionis natura pro ingenii modulo oſtendam, cui qualicunque labori vt Diuinum Numen ſua benedicat gratia, Lector vero beneuolus pro humanitate ſua faueat, maxume exopto.

§. I.

TRribuitur corpori *motus inteſtinus*, cujus particulæ à principio interno, propria nempe, vel materiæ heterogeneæ interlabentis vi inter ſe mouentur, quiete vel motu totius perinde habito.

§. II.

Fiunt autem in vaſta vniuerſi hujus machina tot, tamque diuerſi motus inteſtini, vt omnibus iis diſtincte perſpiciendis non, niſi infinitus Sapientiſſimi ipſius Architecti intellectus ſufficiat. Quidam tamen horum, quum ratione ſubjecti, cauſſarum, adjumentorum, impedimentorum, phœnomenorum & effectuum conſtantes ſequi leges deprehendantur, obſeruatis his ſedulo, ſibique collatis, quo minus cognoſci & ad diſtinctas reuocari poſſint claſſes, nil impedit. Ita alia inter fermentationis, putrefactionis & efferueſcentiæ cognita jam habetur indoles, quarum confuſio tot per Chemiam, ipſamque Medicinam late vagantium errorum fœcunda olim mater fuit.

§. III.

Per *Fermentationem* motus intelligitur inteſtinus, in corpore vegetabili, illi apto, excitatus, hoc, compagem ejus naturalem diſſoluendo, ita mutans, vt per deſtillationem vel *Spiritus inflammabilis*, vel *Acetum* inde obtineatur.

§. IV.

Ille; qui etiam ſpiritus vini & a quibusdam ſpiritus ſulphureus appellatur, poſt ſimplicem, eamque abſolutam fermentationem ex materia fermentata deſtillatione elicitur, & eſt liquor ſubtilis, volatilis, aquæ inſtar limpidus, odoris fragrantis ſingularis, ſaporis acris, aromatici, igne deflagrans, aquæ tamen promtiſſime miſcendus. Analyſi chemica examinatus, conſtare potiſſimum videtur Alcohole, ſiue oleo vegetabili, ad illum ſubtilitatis gradum euecto, vt aquæ miſceri poſſit, igne tamen totum deflagret, quod ſalis acidi volatilis aliquid; pauxillum olei craſſioris, ingrati, nec non plus vel minus phlegmatis conjunctum habet, à quo vix perfecte liberari poteſt.

§. V.

Acetum vero ex liquore jam fermentato iterata fermentatione paratum, deſtillatione à craſſioribus ſeparatum, liquorem exhibet tenuem, minus volatilem priori, odore gratum, ſapore acrem, acidum, aquæ miſcibilem, ſed ignem exſtinguentem. Conſtat

ſale acido volatili, phlegmate ſoluto, aliquid oleoſi, ſpirituoſi & terreſtris ſinu ſuo reconditum gerente.

§. VI.

Ex binis his fermentationis effectibus liquet, naturam motus hujus inteſtini in eo præſertim conſiſtere, vt olea vegetabilium minutim dividendo, à craſſioribus ſeparando, tenuiora, ſubtiliora, & ipſi aquæ, cujus miſcelam antea reſpuebant, promtiſſime & ſponte quaſi miſcibilia reddat, ſalia vero illorum natiua magna ex parte in acidum volatile conuertat, id nexu fixiorum extricet, oleoque deſcripto arctiſſime jungat, ita tamen, vt pro diuerſo vehementiæ ſuæ gradu modo oleum, modo acidum dotibus ſuis magis eminere faciat.

§. VII.

A fermentatione jamjam deſcripta ſubjecti, cauſſarum & effectuum ratione maxume differt *Putrefactio*. Eſt autem hæc motus inteſtinus in corpore animali vel vegetabili quocunque, molli ſaltem, humido & ſucculento excitatus, hoc, indolem & texturam ejus naturalem deſtruendo, ita mutans, vt per ſe deſtillatum ſalem alcalinum volatilem, qui phlegmate ſolutus *Spiritus alcalini*, vel etiam *vrinoſi* nomine venit, oleumque fœtidiſſimum fundat.

§. VIII.

Motus præterea hic inteſtinus in majore caloris gradu, quam fermentatio fieri obſeruatur, ſuaque indole

dole in vegetabilibus acidum deſtruit;materiam ſalis alcalini fixi conſumit, quæ a priore intacta relinquitur, vtraque in ſalem alcalinum volatilem conuertit, hunc jam præſentem magis exaltat, vinculo aliorum expedit, olea fœtida efficit & volatilia; animantium ſalia ex neutris alcalina volatilia, olea vero blanda antea & fere inodora acria & fœtidiſſima reddit.

§. IX.

Non autem differre duntaxat à ſe inuicem duas has actiones, ſed & tum per ſe, tum per ſua producta aduerſari ſibi experimur. Sic enim ſuis quælibet cauſſis in duobus ſubjectis ſeorſim nata, conjunctis his, ſibique inuicem confuſis, alteri ita reſiſtit, vt exſpirante altera, illa tantum reſiſtentia tamen alterius magis, minusue debilitata & moderata perſtet, quæ vel ſubjecti ſui, vel cauſſarum, vel adjumentorum copia & vi ſuperior exiſtit. Sic etiam ſpiritum vini & acetum putredinem à concreditis ſibi corporibus arcere, & ſalia alcalia volatilia, oleaque fœtida fermentationem ſufflaminare, quotidiana loquitur experientia. De dictis hactenus plura Vid. in Celeb. BOERHAAVII *Chem. Tom. II.* & BOHNII *Diſſert. Chem. IX. & X.*

§. X.

Paucis adhuc tertiam memoratarum motus inteſtini ſpecierum, quam *Efferueſcentiam* nominant, conſideremus, vnde & hanc à duabus prioribus diſtinctiſſimam eſſe adparebit. Oritur autem hæc ſola certorum corporum, eorumque diuerſorum miſcela, quorum minimæ

nimæ particulæ, dum ſecundum cohæſionis leges cum aliis in mutuos ruunt amplexus, alias repellunt, ac interſtitiis, in quibus hoſpitabantur, exturbant, pro harum elaſticitate agitationem leniorem vel vehementiorem ſubeunt, quæ porportionatum ſuæ vehementiæ calorem producit, ac poſt mixtionem perfecté abſolutam iterum quieſcit.

§. XI.

Præſtructis his & ex Chemia repetitis, propius jam ad diſquiſitionem noſtræ theſeos accedimus, primo quidem loco de indole potus vinoſi ſolliciti. Liquor ex maturo & recenti vuarum ſucco, qui *muſtum* vocatur, fermentatione paratus, in deſtillatione ſpiritum inflammabilem (§. 4.) fundens, & geminata fermentatione in acetum (§. 5.) conuertibilis, communi loquendi vſu *Vinum* dicitur. Similis vero liquor, ex vegetabili quocunque alio productus, generali *Liquoris vinoſi* nomine inſignitur, & pro ratione vegetabilis, vnde fit, propria alia & diſtincta ſortitur nomina. Vtrumque horum liquorum, quatenus propria forma ore aſſumitur, *Potus vinoſi* termino complector. Extenditur quidem, nec immerito vini denominatio a Celeb. Boerhaavio, aliisque ad omnes ejusmodi liquores fermentatos, ex quocunque demum vegetabili proficiſcantur, ſeruare tamen hoc loco ſignificatum hodie magis receptum ſatius duco, ambiguitatis metuens, ſi generi nomen tribuam, quo mihi poſtmodum ſpecies indigitanda veniet.

§. XII.

Quodcunque vinum, omnemque vinoſum liquorem

rem continere ſpiritum inflammabilem ac ſalem acidum volatilem, ineſſe ipſi præterea partes fixiores ſalino-oleoſo-terreas, quæ fermentatione volatiles reddi non potuêre, omniaque hæc copioſo phlegmate ſoluta & exacte ſibi permixta eſſe, ex ipſa partim definitione, partim examine chemico patet. Quorum principiorum varia proportione, miſcela varia, ingens, quæ ſenſibiles horum liquorum qualitates intercedit, diuerſitas, totque illorum naſci ſpecies videntur.

§. XIII.

Spiritum vini, acidumque aceti putrefactioni potenter reſiſtere experientiæ teſtimonio ſupra probatum eſt. (§. 9.) Jam vero in vino & vinoſis liquoribus, adeoque etiam in potu vinoſo ſpiritus ille & acidum ejusmodi continetur, (§. 12.) hinc potus vinoſus vi horum principiorum putredini reſiſtit.

§. XIV.

Viſa potus vinoſi indole, ad modum, quo alimentorum abſoluitur *Digeſtio* prouehimur, *quæ* nihil aliud eſt, quam ea aſſumtorum in primis, quas vocant, viis mutatio, qua apta fiunt, vt vel tota ſua mole, vel aliqua ſaltem ejus parte in humorem noſtris ſimilem abeant. Sed hic profecto, ſi in qua alia corporis noſtri functione explicanda, ſagaciſſimos inter naturæ humanæ ſcrutatores ingens regnauit olim, & adhucdum dominatur diſſidium. Multi motu ventriculi trituratorio aſſumta confici ſtatuunt, peculiare ſoluendis iisdem menſtruum quærunt alii, alii motum quendam

inteſtinum in ſubſidium vocantes, vel per calorem cibos eliquari, vel fermentatione, vel denique putrefactione digeſtionis abſolui contendunt negotium.

§. XV.

Vt itaque in tanta ſententiarum diuerſitate de genuina digeſtionis cauſſa primaria explicatius conſtet, operationis hujus naturalis curatius paulo indaganda eſt indoles. Partium quidem corporis tum ſolidarum, tum fluidarum, huic functioni inſeruientium, expoſitione, vtpote prolixa nimis, & a grauiſſimis Scriptoribus Phyſiologis exquiſite, accurateque exhibita, lubens hic ſuperſedeo, ſola effectus conſideratione contentus.

§. XVI.

Notum ſatis eſt, aſſumta vegetabilia pariter, ac animalia in alimentorum canali, præcipue in ventriculo ſingulari ſua fabrica & proprietatibus exui, variis fluidis, ex maſſa ſanguinea ſecretis & huc deriuatis, permiſceri & in maſſam converti cineritiam, magis minusue fluidam, ſolo preſſionis motu in duas partes ſeparabilem, alteram liquidiorem, tenuiorem, laudabilem, *Chylum* dictam, cujus intuitu ipſa hæc actio naturalis *Chylopoieſis* etiam appellatur, alteram craſſiorem, graueolentem, inutilem & excrementitiam, quæ *fecum aluinarum* materiem maxuma ex parte conſtituit.

§. XVII.

§. XVII.

Chylus ille liquorem ſiſtit coloris lactei, inſipidum & inodorum fere, maxume blandum, tenuem, ad ſenſum homogeneum, in ſe materiem omnium reliquorum humorum animalium continentem, conſtatque particulis aqueis potiſſimum & oleoſis blandis, tum quoque terreis quibusdam ſubtilioribus & ſalinis neutris, ſingularibus, modice volatilibus, ſub oleoſi tegmine latitantibus. Naturaliter enim nec acidus eſt, nec alcalinus, ſpirituoſi fermentati nullum exhibet veſtigium, ſeque hac ratione humorem vere animalem præſtat, hocce tamen ſeruato diſcrimine, vt, quum minus, ac reliqui humores animales, vim actionum corporis naturalium & vitalium expertus ſit, partes ejus oleoſæ adhuc tenaciores, aqueis nondum arcté adeo vnitæ, & hæ inde inodoræ magis deprehendantur, ipſe chylus præ reliquis alimenti, vnde genitus eſt, indolem quadantenus conſeruet & ad putredinem minus procliuis ſit. Fex item inteſtinalis nullam acidi aut ſpiritus fermentati notam in ſtatu naturali exhibet.

§. XVIII.

Vnde adparet, præcipuum digeſtionis momentum in aſſumtorum ſolidorum in minimas partes reſolutione ac liquidi peregrini & heterogenei inuerſione atque in naturam humoris animalis aſſimilatione poſitum eſſe. Licet itaque digeſtio operatio maxume compoſita ſit, pluresque cauſſas agnoſcat, nil, niſi quod ſufficientem memoratorum effectuum rationem continet,

cauſſa ejus *proxuma primaria* dici merebitur. Num vero talis inter cauſſas ſupra adductas reperiatur, videamus.

§. XIX.

Primo ſe offert *triturationis ſyſtema*, quod olim jam, teſte CELSO, *in Præfat. Lib.* I. ab ERASISTRATO ſtabilitum, recentiori æuo ab HARVÆO, PEYERO, LEVWENHOEK, & imprimis PITTCARNIO in peculiari Diſſertatione aſſertum, à BOERO *in Epiſtola ad* PITTCARNIVM *ſcripta* contra ASTRVCII objectiones defenſum, noſtris vero temporibus ab HECQVETO, *celebri Pariſienſium medico*, duplici Tractatu vberius explicatum reperimus. Idem vero LISTER, COCKBVRN, VIEVSSENIVS Senior, NICOLAVS ANDRY, ASTRVCIVS, MANGETVS & GASSTALDI, *medicus Auenionenſis*, acriter impugnarunt. Quorum Auctorum rationes, quibus hoc ſyſtema corroborare, vel ſubvertere conati ſunt, hic excuti ſingulas, inſtituti ratio non patitur. Hinc ipſam hanc doctrinam conſideremus, cujus ſumma, verbis Celeb. PITTCARNII, eſt, " ſolum eſſe motum ventriculi atterentis & comminuentis cibos aſſumtos, qui coctionem abſoluat, ſeparando eas partes, quæ vltimo cöierant in tubulos fibrasue formæ in animali ſpectandæ. " Vbi notandum, illum hic animalis nomine & animalia & vegetabilia complecti, vti ex antecedentibus videre eſt.

§. XX.

Aſt motus ventriculi digerentis in corpore ſaltem humano non tam validus eſt, qualem ſyſtematis hujus

patro-

patroni ſibi perſuadent, ſed lenis potius, lentus, placidus, vixque perceptibilis, id quod ſua quemlibet perceptio, ac quorundam animalium viuorum diſſectio docet. Calculus autem, quo Celeb. PITTCARNIVS potentiam viſceris hujus muſcularem cordis potentia quadruplo majorem eſſe, euincere ſtudet, falſo, quod ſalua erga manes tanti Viri veneratione obiter hic annotare liceat, nititur ſuppoſito, potentias ſcilicet muſculorum eſſe in ratione compoſita ex ratione longitudinum, latitudinum & profunditatum, hoc eſt in ratione ponderum, quum, poſita vi ſingularum fibrillarum æquali, numerus duntaxat fibrarum ſit, qui robur muſculi determinet, longitudo vero non niſi aptitudinem ad majorem motum efficiat. Hinc in ſupputanda muſculorum potentia pondus muſculi, vtpote longitudinem ejus complectens, per hanc diuidendum eſt. Jam vero in muſculis cauis productum diametrorum longitudini fibrarum reſpondet, per illud itaque pondera muſculorum cauorum ſunt diuidenda, ſi ratio eorundem potentiæ quæratur. Atque ſic, cæteris paribus, potentiæ duorum ejusmodi muſculorum ſunt vti pondera, ſi diametri ſunt æquales; ſi vero pondera ſunt æqualia, potentiæ ſunt reciproce vti producta diametrorum.

§. XXI.

Qui dicta modo, magnamque diametrorum cordis & ventriculi differentiam ſecum perpendit, multum jam traditæ hujus vi contractrici decedere ſentiet, cui accedit, quod fibræ muſculares cordis, alicui cauitatum ejus arctandæ ſeruientes, ſimul agant, quum è

 contra-

contrario fibræ ventriculi modice repleti, qua digerentis, alternis modo ſe contrahant vicibus, adeoque non tam ipſum ventriculi cauum arctando, & ingeſta comprimendo, quam figuram ejus continuo immutando, & hac ratione contenta exactius miſcendo, facile ſecedentia ſeparando, ſuum ad digeſtionem conferre ſymbolum videantur. Quomodo vero motus hic reciprocus, nec validus adeo cibos ſolidos, ſæpe non admodum manſos, fluidis cinctos vndique, hinc vix majorem, quam horum cohæſio eſt, i. e. propria ſua cohæſione multo inferiorem vim ſuſtinentes, adeo terere, trituque tam ſubtiliter diuidere poſſit, conceptu difficillimum eſt, minus adhuc, quomodo liquida, na natura humoris animalis aliena, in talem convertaitur, per triturationem quamquam validiſſimam explicari vnquam poteſt.

§. XXII.

Actione itaque ſolidorum digeſtionem abſolui non poſſe, videntes alii, per fluidi ſoluentis vim intelligi illam, arbitrati ſunt. Vnde variæ de *menſtruo gaſtrico* opiniones traxere originem, cui acorem alii, alii ſalſedinem, & neſcio quas alias hunc in finem Auctores adſcripsêre qualitates. Jam vero ſaliuam, liquorem glandularum œſophagi, gaſtricum vtrumque, aliosque in ventriculi cauum deſtillantes humores aquoſos maxume, fluido nerueo diuites, ex miſcela pauci olei & ſalis leuiter ſaponaceos, tenuiores alios, alios lentiores & magis mucoſos, omnes tamen blandos, nullaque acrimonia naturaliter præditos eſſe, per varia experimenta dilucide conſtat, vnde aſſumtorum ſimul conditionem & varietatem conſideranti patet, illos quidem

ſoli-

ſolidiora emolliendo quadantenus, ſalina ſoluendo, aquoſa oleoſis miſcendo, liquidi peregrini particulas ſeparando, ac latius diſpergendo, interioribus & continuis ciendo motibus, inchoandæ & promouendæ digeſtioni multum inſeruire, neutiquam vero aſſumta ſolida quæcunque perfecte diſſoluendo, & diſſoluta, fluidaque heterogenea in chylum conuertendo, abſoluendæ eidem ſufficere. Prius enim, vt horum liquorum penetrandi vis cohæſione ſolidorum major ſit, requirit, poſterius vero per nudam mixtionem absque accedente inteſtino motu non intelligitur. Idem de bile, pancreatica lympha, aliisque in tenuibus inteſtinis obuiis animalibus ſuccis valere, cognita horum indoles & abſoluta magna ex parte in ventriculo alimentorum diſſolutio innuunt. Si quis autem liquida, quauis ratione huc delata, huic admouere velit operi, hæc, ſi ad naturam priorum accedunt, non magis, ac illa diſſolvendis alimentis idonea deprehendet, ſi heterogenea ſunt, diſſolutionem illam quamuis perficiant, alteri tamen requiſito, conuerſioni nempe aſſumti in naturam humoris animalis non ſatisfiet. Vt metum taceam, qui ſubeſt, ne ejusmodi menſtruum ipſam ventriculi diſſoluat & corrodat ſubſtantiam.

§. XXIII.

Quum nec ſolidorum, nec fluidorum actio extranea explicando præcipuo digeſtionis momento ſufficiat, *motus* quidam *inteſtinus* cauſſa hujus erit primaria. Talis enim vegetabilium & animalium ſolidis in partes minimas diſſoluendis, fluidisque maxume diuerſis & heterogeneis in liquorem eundem, apparenter ſaltem homo-

homogeneum, & nouum plane conuertendis par eſt, vti fermentationis & putrefactionis exemplo videtur. Deinde in aſſumtis motum hujusmodi excitari, non ſolum nihil abſoni inuoluit, ſed & per horum conditionem, loci calorem & confluentia huc liquida maxume probabile fit, immo per motos ſubinde ructus manifeſte ſatis indicatur.

§. XXIV.

Jam qualis hic ſit, & num in cognitarum hactenus motus inteſtini ſpecierum aliqua ſufficiens digeſtionis quærenda ſit ratio, quæſtio eſt. Hanc quidam cum Hippocrate in *calore* ventriculi ſe inueniſſe rati, elixari quaſi cibos & haut ſecus, ac oſſa in digeſtore Papiniano emolliri ac reſolui putarunt. Verum quamuis omnis in adjuvanda alimentorum confectione vis calori deneganda non ſit, cauſſæ tamen digeſtionis proxumæ primariæ titulum plane non meretur. Ipſe enim aquæ ebullientis calor quum multos cibos nec ad illam, quam in digeſtione nanciſcuntur, fluxilitatem redigere, nec reliquam ipſis, quam in chylificatione ſubeunt, inducere mutationem valeat, licet plus duplo fortior ſit maxumo, qui in homine ſano & robuſto deprehenditur vnquam, caloris gradu, ab hoc certe, qua tali, fruſtra illud expectabitur. Præterea quod ſigillatim ad machinam Papinianam attinet, comparationem digeſtionis cum hujus actione non admodum procedere arbitror, quia in illa multa deſunt eorum, quæ huic perficiendæ ſeruiunt, qualia ſunt primo intenſiſſimus ille caloris gradus, deinde aër atmoſphæricus contentis in hac machina incumbens, ingenti

genti ſua expanſione aquam in interſtitia & poros oſſium dilatatos cogens, validiſſima denique vaſis continentis reſiſtentia.

§. XXV.

Motum inteſtinum, quo digeſtio perficitur, nec *efferueſcentiam* dici poſſe, non eſt, vt fuſius exponam, quum ipſi hujus patroni id aſſerere vix audeant. Præterea enim, quod hæc digeſtionis cauſſa, ſi fictitium bilis ſuccique pancreatici conflictum, qui ex mente Graafii & Schuylii in duodeno contingit, huc referre velis, commentitia pariter, nullaque eſſet, pleraqne alimenta inter ſe & cum noſtris humoribus placide admodum & amice ſe gerunt, vt ex horum concurſu non niſi rarius efferueſcentia expectari poſſit, quæ nec alias intelligendo ſatis præcipuo digeſtionis momento ſufficeret, quamuis ſæpius obſeruaretur.

§. XXVI.

Multi eorum, qui motu quodam inteſtino digeſtioni opus eſſe, agnouerunt, hunc *fermentationem* appellarunt, qua denominatione, niſi ambigue ipſos locutos eſſe velis, motum inteſtinum §. 3. deſcriptum indigitare voluerunt. Huic vero in digeſtionis officina vt cauſſæ principalis locum concedamus, nec ſubjecti, nec effectus ratio permittit. Si enim digeſtio fermentatione aſſumtorum fieret, hæc certe fermentabilia eſſe deberent, quod tamen quotidianæ refragatur experientiæ, qua plura alimenta talia non eſſe, conſtat, quia ſola tantum vegetabilia, nec ea quidem omnia

fermentationis ſunt ſubjectum. (§. 3.) Effectus autem digeſtionis ei, quem fermentatio edit, plane contrarius eſt, vti cuilibet facile patet, qui §. 4. 5. & 6. cum §. 16. 17. & 18. conferre haut grauatur. Interim non inficior, promte fermentabilia, magna copia aſſumta, ipſam in ventriculo fermentationem inchoare, hanc tamen variis cauſſis ſuffocari & in alium motum inteſtinum mutari, abſentia acidi & ſpirituoſi (§. 4.) in maſſa humorum animalium nobis perſuadet.

§. XXVII.

An denique aſſumtorum *putrefactione* fiat digeſtio, examinemus breuiter. Ita quondam Plistonicum, antiquiſſimum auctorem, docuiſſe, Celsus *loc. cit.* refert. Veſtigiis inſuper hujus opinionis apud veteres ſcriptores obuiis vetuſtiſſimam illam eſſe, Martinus Lister comprobat. Idem præſtantiſſimus Auctor doctrinam hanc obliuione tectam fere atque obrutam ab hac vindicandam ſibi ſumſit in eleganti *de Humoribus Diſſertatione,* vbi etiam in eadem *coctionis ſepticæ ſiue putrefactiuæ* nomine conſideranda, variisque rationibus ſtabilienda multus fuit. Quamquam vero doctrinam hanc præ reliquis ſupra adductis opinionibus veritatis ſpeciem præ ſe ferre fatear, quum ex omnibus inteſtinis commotionibus cognitis putrefactio maxume cum motu illo inteſtino, quo digeſtionem perfici monſtrabitur, conueniat, hunc tamen pefectam putrefactionem eſſe, ex hac ſaltem ratione concedi nequit, quia chylus, productum digeſtionis præcipuum, indole ſua, §. 17. deſcripta, a putredinis effectu (§. 7.) plurimum differt.

fert. Regerit quidem laudatus Lister etiam ad hanc objectionem, chyli ex alimentis putrefactione geniti parem eſſe rationem, ac aquæ ſimplicis putreſcentis ſæpius, & toties ad integritatem redeuntis. Sed aquam non qua talem, verum ratione contentorum putreſcere, notum eſt, hinc præcipitatis his, vel alio modo ſeparatis, quum ipſa in ſe ſpectata putrefactionis ſubjectum non ſit, ad integritatem haut ægre reuertitur. Chylus contra, ſi ex Auctoris ſententia vera aſſumtorum putrefactione naſceretur, quum ipſe ſua natura ad putredinem ſuſcipiendam aptus ſit, ab hujus profecto labe non immunis foret. Ipſe interim allegatus Auctor ſepticam ventriculi concoctionem a putrefactione gradu ſaltem atque ſic differre admittit, vt hæc cum foetore, illa vero citra fœtorem ſit, quam tamen diſtinctionem putrefactionis notio (§. 7.) minus patitur.

§. XXVIII.

Quum itaque cauſſam digeſtionis proxumam primariam in motu quodam inteſtino, in aſſumtis ſuis cauſſis excitato, ſitam eſſe conſtet, hic vero ad memoratas & hactenus cognitas inteſtinæ commotionis ſpecies referri proprie non poſſit, peculiarem illum & a reliquis diſtinguendum eſſe, infero, quem propterea, ſi proprio inſigniendus nomine videretur, *Motum digeſtionis* vel *digeſtiuum* appellari commode poſſe, arbitror. Hujus vt natura diſtinctius perſpiciatur, ſubjecti, cauſſarum & effectuum conſideratione opus eſt.

§. XXIX.

Ad *ſubjectum* quidem pertinere videntur omnia,

quæ tum ex vegetabilibus, tum animalibus fluida pariter, ac ſolida, mollia præſertim & ſucculenta alendo corpori humano idonea eſſe, tot ſeculorum experientia homines docuit, quæ etiam inde alimentorum nomine innotuerunt; dum vel jam per ſe ad ſubeundum motum hunc inteſtinum magis, minusue prona ſunt, vel per illum jam excitatum, aliorumque admixtionem ita mutari ſe patiuntur, vt eidem demum concipiendo idonea euadant.

§. XXX.

Cauſſam motus hujus inteſtini ipſa partim aſſumtorum plerorumque conditio conſtituit, qua ad inteſtinam qualemcunque, putredinoſam cumprimis ſuarum particularum commotionem inclinant. Ita enim carnes animalium, corpus frequentiori & celeriori motu exercendo ſuos humores magis ad putredinem diſponentium, item per aliquot tempus libero aëri & calido expoſitas, lenique putredine tactas facilius digeri, comperta res eſt. Aliam ejus cauſſam certus præbet caloris gradus, in ventriculo ſani hominis obuius, illum, quem fermentatio ſuſtinet, excedens, minor vero eo, qui in putrefactione obſeruatur. Quid autem determinatus calor in ſuſcitando & intra limites ſuos cöercendo motu aliquo inteſtino valeat, vinoſæ & acetoſæ fermentationis exemplo diſcimus. His denique accedit humorum animalium huc delatorum (§. 22.) admiſtio, cœptam ſponte ex aſſumtorum quorundam natura fermentationem diſſoluens, ac motui digeſtiuo per ſe minus apta eidem concilians. Quo etiam munere, ſi ab humoribus, ipſum ventriculum alluentibus, ipſi

ipſi non omnino factum ſit ſatis, bilis præſertim & pancreaticus liquor in tenuibus inteſtinis perfunguntur efficacius.

§. XXXI.

Effectus vero motus digeſtiui aſſumtorum in maſſam chyloſam & feculentam eſt mutatio. Is proinde ſua natura propriam ſolidorum animalium & vegetabilium ſtructuram diſſoluit, ſuccos vegetabiles ſua indole exuit, materiem ſalis alcalini fixi, vegetantibus propriam, conſumit, acida & ſpirituoſa fermentata inuertit, ſales neutros volatiles ſingulares generat, particulis oleoſis blandis, attenuatis & terreis ſubtilioribus jungit, hæc omnia phlegmati tenui miſcet, à craſſioribus facile ſeparabilia reddit, quæ tenuioribus illis exhauſta, ad craſſa inteſtina deuoluta, nouisque quibusdam animalibus ſuccis irrorata, dictum inteſtinum motum fortius continuant, fœtorem ſtercoreum, putredinoſo æmulum contrahunt, ac aluinas feces conſtituunt. *Motus* ergo *digeſtiuus* pro diuerſo ſui gradu effecta ſua plus, minus ad putredinem diſponit, immo diutius & fortius continuatus in ipſam putrefactionem terminatur.

§. XXXII.

Vnde motum hunc inteſtinum ratione ſubjecti, cauſſarum & effectuum proxume ad putrefactionem accedere, & in ſe ſpectatum ab hac ſolo fere gradu diſtare apparet. Huc intendiſſe digitum videtur Celeb. BOERHAAVE, dum *Chemiæ Tom. II.* de putrefactione vegetan-

 tium

tium differens, hanc ex omnibus actionibus artificialibus & naturalibus omnium optume actionem primam oris, ventriculi & inteſtinorum exponere, neque adeo explodendam vndique eſſe PLISTONICI ſententiam, pronunciat.

§. XXXIII.

Deſcripta motus digeſtiui indoles, magnaque cum putrefactione affinitas clare ſatis docet, ea, quæ per ſe huic contraria ſunt, etiam illi aduerſari. *Potus* itaque *vinoſus* quoniam vi principii acidi & ſpirituoſi putredini reſiſtit, (§. 13.) motui quoque digeſtiuo adverſus eſt, ſuarumque partium interpoſitione, vt hic in aſſumtis difficilius excitetur, & languidius procedat, efficit, atque ſic, quum motus hic inteſtinus primaria digeſtionis cauſſa ſit, (§. 28.) *ipſam digeſtionem per ſe & ſua natura impedit.*

§. XXXIV.

Digeſtio autem præter cauſſam hanc primariam varias minus principales agnoſcens, aliam, immo contrariam ad potum vinoſum relationem habentes, certo reſpectu ab hoc expectare etiam juuamen poterit. Ita illum quocunque modo augendo motum ventriculi periſtalticum, vel aliquali quorundam alimentorum diſſolutioni inſeruiendo promouere quadantenus digeſtionem poſſe, non inficior. Quum vero id, quod in cauſſam alicujus actionis primariam agit, efficacius illam adjuuet, vel infringat, quam quod tantum cauſſam quandam minus principalem attingit, *potum vinoſum per ſe & ſua natura digeſtionem ciborum impedire magis, quam adjuuare,* liquet.

§. XXXV.

§. XXXV.

Quoniam potus vinoſus vi principii acidi & ſpirituoſi potiſſimum digeſtioni reſiſtit, (§. 33.) quocunque demum modo principia hæc dictam exerceant facultatem, ratio ſuadet & rerum vſus teſtatur, hanc potui vinoſo ea lege communicari, vt quo perfectius in eodem principia hæc fermentatione elaborata, quo pauciore diluta phlegmate, hinc quo exaltata & concentrata magis exiſtunt, eo etiam efficacius idem digeſtioni aduerſetur & contra.

§. XXXVI.

Ex generali hac regula jam alias ſpecialiores derivare licet, quibus dein ad ſingulas vini & liquoris vinoſi ſpecies, quas hic enumerari arcti diſſertationis limites non patiuntur, rite adplicatis, facili videri negotio poterit, quænam præ aliis magis, minusue dicta facultate polleat. Sic v. g. vina ſaporis acuti, ſpirituoſi, ſubauſteri & aciduli, qualia ſunt pleraque Galliæ & Germaniæ vina, fortius digeſtioni reſiſtunt, ac dulcia, quæ minorem prioribus & partim imperfectam fermentationem paſſa ſunt, multoque minorem ſpirituum copiam in deſtillatione largiuntur. Vid. Celeb. Hoffmanni *Diſſ. Phyſ. Med. IX. Cap. I.* §. 11. *& Cap. III.* §. 2. & Lemeri *Chem. Part. II. Cap. XIX.* Dictam quoque facultatem potentius exſerunt vina, copioſiorem tartarum deponentia, quia vberior hujus prouentus & generatio cæteris paribus de perfectiore fermentatione teſtatur. Idem ſentiendum eſt de vinis generoſioribus ac fortioribus, in tenuioribus enim & aquoſis phlegma-

tis

tis copia, ſpirituoſum & ſalinum principium latius diſpergens, vim ejus, quæ vnita ſemper fortior deprehenditur, infringit.

§. XXXVII.

Quæ de vinis dicta ſunt, ſi tartari generationem in quibusdam excipias, ad liquores etiam vinoſos ejusdem ſpeciei reſpectu hujus facultatis dijudicandos faciunt. Si vero diuerſæ horum ſpecies tum inter ſe, tum cum ipſis vinis hoc ſcopo conferuntur, vegetabilium, quibus originem debent, habenda ſimul eſt ratio, quæ quo ditiora ſpirituum & acidi minera, quo promtiori & fortiori fermentationi apta ſunt, eo magis liquores, fermentando inde producti, digeſtioni obſtant & vice verſa. Vnde patet, cereuiſiam, vtpote ex cerealibus paratam, digeſtioni minus reſiſtere, ac ipſum vinum, vel vinoſos liquores, ex fructibus horæis profectos.

§. XXXVIII.

Quum potus vinoſus per ſe & ſua natura digeſtionem ciborum impediat, (§. 33.) hæc ejus facultas non poteſt non pro ratione quantitatis & copiæ ejusdem augeri. Deinde quia in hac digeſtionis diminutione potus vinoſus in alimenta præſertim agit, idem hanc vim potentius exſeret, ſi vna cum his, quam ſi alio tempore aſſumitur.

§. XXXIX.

Reſtat, vt quid ratione hujus facultatis de ſalubritate, vel inſalubritate potus vinoſi ſtatuendum ſit, diſpicia-

ſpiciamus. Digeſtio rite procedens ſicut integræ valetudinis baſin conſtituit, ſic impedita nimis atque debilitata ingens morborum agmen corporis limitibus introducit. Talis enim diuidendis ſatis, attenuandis ac in indolem liquorum corporis noſtri aſſimilandis alimentis impar, in primis quidem viis præter varias pro diuerſa illorum indole cruditates, ipſamque lienteriam, viſcidi præſertim & acidi, omniumque inde hic orientium morborum cauſſa exiſtit; chylum porro vel juſto parciorem ſuppeditans, nutritioni officit, vel crudum, nec ſatis diuiſum, immo acida acrimonia infectum ad ſanguinem mittens, debitam hujus ac reliquorum humorum craſin peruertit, lentorem ipſis, ſpiſſitudinem, cruditatem, ac inertiam inducit, eosque acres ac immeabiles reddit, vnde obſtructiones, ſtaſes, dolores, tumores, cachexiæ, febres, ſolidorum laxitas atque debilitas, & qui reliqui ſunt, & ex prioribus propullulant, affectus chronici præſertim & refractarii dependent.

§. XL.

Tot ſunt, quæ digeſtio juſto debilior corpori citius, tardiusue mala inuehit. Tantum etiam eſt, quod potus vinoſus digeſtionem plus æquo minuendo ſanitati damnum infert, quod ipſe quidem actiones corporis alias ſimul intendendo reddere aliquantum tolerabilius, non vero plene reſarcire valet. Reliquas enim functiones naturales, quamquam in rectam humorum elaborationem & aſſimilationem cum digeſtione conſpirent, ſupplendo tamen notabili hujus defectui minus aptas eſſe, Veteres jam cognouêre, dum coctionis primæ vitia non facile in ſecunda corrigi annotarunt.

D §. LXI.

§. XLI.

Noxiam hanc potus vinoſi vim ipſa quoque confirmat experientia, qua plurimos acrium vini potorum affectus tales eſſe conſtat, qui ex labefactata alimentorum concoctione intelligi optume & explicari poſſint. Hos inter arthritis præ reliquis attentionem meretur, copioſum vini præſertim Rhenani potum, vt conſtans fert obſeruatio, vtplurimum excipiens. Qui vero affectum hunc ſubtiliſſimorum humorum cruditatem in vaſis majoribus vix ſenſibilem ſupponere, (§. 1267. *Aphoriſm.* Boerhaavii *de cognoſcendis & curandis morbis.*) hanc autem læſæ digeſtioni potiſſimum deberi cogitat, vinum ſimul Rhenanum digeſtionem præ reliquis efficacius infringere poſſe, ex regulis, in §. 36. adductis, cognoſcit, facile hujus rei rationem reddere poterit, citra peculiarem morbi hujus cauſſam materialem in ipſis hujus vini particulis quærendi neceſſitatem, quamuis neque hanc hic exulare prorſus exiſtimem.

§. XLII.

Non autem defectu duntaxat, ſed & exceſſu peccare poteſt digeſtio, dum, quoniam ſanitas in conſenſu virium, & per conſequens etiam functionum corporis, determinati gradus, conſiſtit, (Conf. *ſanitatis Defin.* a Celeb. Schreibero, *in Elem. Med. Phyſ. Mathem. exhibita.*) nulla harum per ſe & abſolute, ſed quatenus intra limites determinati gradus continetur, corpori ſalubris eſt. Et quum digeſtionis ratio in motu digeſtiuo potiſſimum contineatur, effectus digeſtionis juſto

fortio-

fortioris ex aucto nimis motu hoc inteſtino intelligi commode poterit.

§. XLIII.

Hic vero quo fortior eſt, eo magis effecta ſua ad putredinem concipiendam diſponit, ipſeque eo propius ad putrefactionis accedit naturam. (§. 31.) Hinc digeſtio nimis valida in primis viis alcalinam acrimoniam, nidoroſam, bilioſam, putridam cruditatem, multosque inde pendentes morbos generat, chylo majorem, quam par eſt, alcaleſcentiam, & putredinoſam diatheſin inducendo, ſanguinis & humorum maſſam, accedente cumprimis vi actionum vitalium valida, ad acrimoniam alcalinam, oleoſam, volatilem, cacochemiam bilioſam, ac diſſolutionem putredinoſam diſponit, atque ſic febribus acutis, malignis, putridis, inflammationibus, eroſionibus, exulcerationibus, gangrænæ, cancro, ſcorbuto, hecticæ, ſcirrhis, calculoſis concretionibus, nimiæ fibrarum rigiditati, multisque aliis affectibus anſam ſuppeditat. Potus itaque vinoſus motum digeſtiuum ſufflaminandi vim habens, inhibendo digeſtionem æquo validiorem, tot inde oriunda mala præcauendo, præſentia minuendo, egregie profecto de corporis humani ſanitate mereri poterit.

§. XLIV.

Quum ergo potus vinoſus tum digeſtionem nimium debilitando ſanitati multum obeſſe, tum juſto valentiorem eandem moderando inſigniter prodeſſe poſſit, vltro ſequitur, de ſalubri vel nociuo ejus

vſu

vſu non ſtatim ex eo, quod digeſtioni aduerſus ſit, judicari poſſe, niſi prius de hujus vigore vel debilitate conſtet. Validiorem quidem digeſtionem inter alia ſexus nobilior, ætas media, temperamentum cholericum & ſanguineum, habitus corporis firmus, appetitus nec languens, nec nimius, ordinatus ſimul, functiones naturales reliquæ, vt & vitales viuide procedentes, intenſior ſudoris, excretionum aluinarum, ac vrinæ graueolentia, ſaturatior hujus color, vſus cibi eupepti ex vegetabilibus tenerioribus, & præſertim ex animalibus depromti, ſomnus parcior, frequens & valida corporis exercitatio, cognita aliunde ad febres acutas, malignas, aliosque morbos, §. 43. memoratos, diſpoſitio indicant, vſumque potus vinoſi digeſtionis intuitu copioſiorem permittunt, quo his contraria, debilioris digeſtionis notæ, eodem reſpectu prohibent.

§. XLV.

Ex omnibus hiſce ſequitur jam, parcius laudandam eſſe potus vinoſi in promouenda digeſtione facultatem, eosque ſanitati ſuæ male conſulere, qui qualecunque digeſtionis ſegnius procedentis vitium largiore potus vinoſi, immo ſpirituoſi hauſtu corrigere ſatagunt, quum, quem aufferre ſibi videbantur, ſenſim ita augeant mali fomitem, variisque tandem inde oriundis morbis erroris ſui, gulæ delectatione placentis, pœnas luant.

§. XLVI.

§. XLVI.

Inde perſpicuum etiam eſt, potum aquoſum præ vinoſo magis naturalem eſſe, quum is humidum ad digeſtionem, debitamque chyli fluiditatem neceſſarium absque notabili ipſius digeſtionis alteratione largiatur, hic vero in operatione hac naturali adjumenti vel impedimenti magis, quam ſubjecti vices ſuſtineat, eamque ob cauſſam condimenti potius, quam alimenti, ſtricte ſic dicti, nomen mereatur.

§. LXVII.

Indidem porro liquet, quo caſu potus vinoſus digeſtioni faueat, licet per ſe & generatim ſpectatus eidem aduerſus ſit. Item, quænam ejus ſpecies, quantitas, quo tempore, in quibus ſubjectis eandem magis impediat, nec non, quando hoc reſpectu noxius vel ſalutaris corpori euadat. Videtur quoque ratio, cur aquæ potatores, annotante Celeb. Fr. Hoffmanno, longæuiores & edaciores ſint, dentes firmiores, cariei non adeo obnoxios & nitidius albicantes habeant, aciemque oculorum diutius conſeruent iis, qui vino aut cereuiſiis indulgent, cur febri acuta, maligna decumbentibus vini hauſtus ſæpe adeo ſalutaris ſit, quare ejusdem vt & aceti probatiſſimus in peſte ipſa vſus. Innoteſcit denique, in quibus ſubjectis, & quid moderatus vini potus ad longæuitatem, vegetamque ſenectutem conferat.

 §. XLVIII.

§. XLVIII.

Tantum ergo abeſt, vt tempeſtiuum ac moderatum potus vinoſi vſum rejiciam, vt potius eidem præter virtutes alias & in promouenda ipſa digeſtione aliqualem concedam, & in moderanda eadem peculiarem & ſaltem non omnibus æque perſpectam hactenus adjudicem. Nec, niſi abuſum potus vinoſi, demta ſalubritatis ſpecie, eo magis ſuſpectum reddere, alius eſt qualiscunque meditationis hujus

F I N I S.

S. D. G.